

**DOMINICI CYRILLI**

*IN NEAPOLITANA ACADEMIA*

**HISTORIÆ NATURALIS PROFESSORIS**

*A. D.*

**BOTANICAS INSTITUTIONES**

*AD EDITIONEM TERTIAM*

**I N T R O D U C T I O.**



**N E A P O L I**

---

**EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.**

**M. D C C. L X V I.**

---

**S U P E R I O R U M F A C U L T A T E.**

*Filum Ariadneum Botanices est Systema; sine quo Chaos  
est Res berberia.*

Linn. Philos. Botan. p. 95. §. 156.





Lasses sexualis systematis, cuius dogmata hoc scholastico curriculo declaranda suscepimus, nova, a Græcis deprompta vocabulis, nomina obtinuerunt, quæ non adeo planum, aut facile est raptim ex dicentis ore accipere, immo sæpius non mediocre negotium Tyronibus faceſſere consueverunt. Nequeunt rurſum intra angustissimos nostrarum Institutionum limites, peculiarium nominum uberes tradi explicationes; res enīa hujusmodi non parvam temporis jaētūram exposcerent; quamobrem classicos methodi Linnæanæ titulos, atque præcipua quædam, quæ in Plantarum descriptionibus occurrunt, typis committere, accuratissque figuris adornare, pro publico bono, curavimus, ut nihil vel in Orthographia, vel penitiori harum rerum intelligentia deesse videretur. Supersunt & multa alia, quæ temporis angustiis interclusi, in præsentia prætermittimus: verum hæc omnia, Deo adjuvante, cum integris Historiæ Naturæ Elementis, absolutum opus efficere posse confidimus.

## I.

Priusquam vero diversas systematicorum regulas, atque Linnæas præsertim, breviter exponamus, necesse est omnino generalem partem, quibus vegetabilia componi solent, structuram, differentiasque explanare. Vegetabilia in systemate universali post lapides, quæ corpora sunt non admodum perfecta, collocantur; appellari solent corpora organica viventia absque sensatione voluntaria, eorumque vita seminum opera in singulo individuo multiplicatur. Componuntur Plan-

Elementa  
Plantarum.

## § IV

Vasa Succo-  
sa, Utriculi,  
Tracheæ.

tae vasis Succofis, Utriculis, & Tracheis; succosa vasa humorem exci-  
piunt, utricula illum perficiunt, atque tracheæ continent aërem, pri-  
marium nempe vegetationis instrumentum; de his ramen peculiarem  
tractationem instituunt Viri Cl., qui de Anatome Plantarum scrip-  
runt, inter quos eminent Marcellus Malpighius Italus, Grewius, &  
Halesius, Angli, Duhamelius, Gallus, aliquique quamplures. Partes internæ  
in majori vegetabilium numero sunt medulla, quæ cingitur ligno cu-  
jus fibræ duræ & rigidæ constant libro, membrana scilicet corticis in-  
terna, quæ quotannis ab ipso cortice sejungitur; cortex denique epider-  
mide, tenui nempe membrana vestitus, plantam complet. Partes ex-  
ternæ tres numerantur, Radix, Herba, & Fructificatio.

Partes exter-  
næ.

## II.

Radicis defi-  
nitio, & dif-  
ferentia.

*Radix pars plantæ Terræ affixa, fibris capillaribus, tanquam toti-  
dem tubulis alimentum baurit, berbamque cum fructificatione producit;*  
componitur Medulla, Ligno, Libro, Cortice, constatque primum Caudice,  
parte nempe majore, & Radicula, parte scilicet tenui & filamentosa, quæ  
primas succi particulas e terrâ accipit. Differentia radicum a varia pen-  
dunt earum directione, & figura: aliquando enim perpendicularis est Ra-  
dix, dum recta intra terram descendit; sæpe vero horizontalis; nonnum-  
quam simplex, si nullis donatur ramulis. Fusiformis est quæ a crasso  
principio in tenuem abit extremitatem, uti in *Pastinaca*, *Dauco* aliisque  
Umbelliferis. Radix tuberosa constat corporibus numerosis solidis,  
in capitulum collectis, uti in *Paeonia*, *Asphodelo* &c. Radix Repens  
est, quæ horizontaliter excurrens per terræ superficiem, radiculas ex  
nodis hinc inde emittit, quemadmodum *Oxalis*, *Glechoma*. Præmorsa  
radix, caudice truncato, pluribusque capillaribus radiculis praedita est,  
uti *Scabiosa*, *Plantago*: mitto radices granulatas, globosas, fasciculares,  
palmatas, quæ a figura tantum determinantur. A duratione dicitur  
radix annua, biennis, perennis.

## III.

Caudex a-  
scendens.

Radicis truncus, sive caudex ascendens super terram, partes herbæ  
reliquas cum fructificatione producit, ideoque plantæ jure appellari  
possunt Radices supra terram; quoniam quæcumque trunci aut ramu-  
lorum pars, quacumque ratione terræ committitur, radices gignit, no-  
vasque inde procreat plantas, quemadmodum satis superque Cl. Viro-  
rum experimenta ostenderunt.

## IV.

## ( V )

### IV.

*Herba est vegetabilis pars , orta a radice , terminata fructificatione , Herba comprebenditque hybernaculum , truncum , folia & fulca .*

### V.

*Hybernaculum est totius ferme herbæ compendium squamosum , Hybernaculum quo partes teguntur , hyberno præsertim tempore . Si radici adhæret lumen . Bulbus , si vero trunco innascitur , Gemma appellatur . Bulbus vel est Bulbus . squamosus uti in *Lilio* , vel solidus uti in *Tulipa* , tunicatus , uti in *Cepa Officinarum* , vel denique articulatus , uti in *Dentaria* , *Latbrea* , & *Martynia* , in quibus radices pluribus lamellis , sive articulis constant .*

### VI.

*Gemma est hybernaculum trunco adnatum , constatque vel per Gemma . tiolis , vel rudimentis foliorum , vel squamis tenuissimis , quæ omnia novæ , ut ita dicam , plantæ organa , diversa ratione convoluta includent . Frutices in genere ab arboribus distinguuntur , quoniam frutices Gemmis carent ; hoc tamen minime verum est in plantis quibusdam Americanis , quæ quamquam arbores sint , gemmis carent . Verissimum vero est plantas calidarum Regionum non adeo Gemmis abundare , ut illæ quæ septemtrionalia incolunt loca .*

### VII.

*Truncus , pars scilicet illa , quæ herbam cum fructificatione extra Trunci species terram attollit , & sustinet , in plures species distinguitur : 1. Culmus cies . in Graminibus , sive Cerealibus tantum plantis locum habet , elevat folia , & fructificationem ; sæpe articulatus , raro squamosus , & fere semper fistulosus est : 2. Scapus a radice producitur , flores , sive fructificationem sustinet , atque occurrit præcipue in Plantis Liliaceis : 3. Pendunculus est Truncus particularis , quo flores tantum caulibus , vel ramis Plantarum adnectuntur : 4. Petiolus est cauda , vel pars attenuata foliorum , cuius ope organa hæc plantæ adhærent : 5. Stipes denique est peculiaris Trunci species , quæ a folio non distinguitur , atque observatur in Palmis , Filicibus , & Fungis .*

### VIII.

*Trunci varietates , quæ a diversis desumuntur accidentibus plures Trunci dif- sunt , sed admodum difficile est illas assequi : quamobrem nomina ferentia . tan-*

## ¶( VI )¶

tantum indicasse sat erit: Caulis itaque est *simplex*, vel *compositus*, *ramosus* nempe, vel non *ramosus*; a duratione *herbaceus*, *suffruticosus* (ad fruticem accedens) *fruticosus*, *arboreus*; *solidus* item, *inanis*, *flustulosus*: a mensura *linearis*, *anguiculatoris*, *pollicaris*, *palmatis*, *pedalis* &c. a directione, *erectus*, *strictus*, *rigidus*, *laxus*, *obliquus*, *declinatus*, *incurvatus*, *nutans*, nempe *pendulus*, *diffusus*, *procumbens* (scilicet super terram) *farmentosus*, *repens*, *geniculatus*, *volubilis*: a figura *teres*, scilicet *cylindricus*, *anceps* dum duos habet angulos, 3, vel *decem angularius*; a superficie *nudus*, *apphyllus*, nempe sine foliis, *fatiatus*, *squamulosus*, *suberofus*, *tunicatus*, *glaber*, *clementosus*, *willosus*, *acuteatus*, *spinofus*, *urens*, quemadmodum in *Urtica*, *membranaceus*. Rami deinde vel sunt *alterni*, alterno nempe ordine dispositi; vel *oppositi*, *verticillati*, *erecti*, *reflexi*, *longi*, *breves*, *patentes*. *Pedunculus*, & *Petiolus* potius *Fulci* genera sunt, adeoque de iis infra sermo erit.

## IX.

**Folia.** Folia sunt organa quædam quæ ab expansione partium Trunci derivant, plerumque membranaceæ efformata substantia; agitatione & mota frequenti succum pro vegetabilis nutritione exercent & perficiunt: inhalantium, atque exhalantium canaliculorum munere funguntur, ac denique flores fructusque umbra sua tegunt. Considerari solent folia a loco quo Plantæ inseruntur, atque rursus dividiti consueverunt.

**Folia Sim-plicia.** Folia *simplicia*, & *composita*. Determinatio foliorum *simplicium*, sive ratio, qua vegetabilibus adnectuntur, efficit folia *Radicalia*, *Caulina*, *Ramea*, *Axillaria*, *Floralia*, si radici, cauli, vel ramis adligantur. A situ oriuntur folia *alterna*, *conjugata*, *sparsa*, *conferta*, *imbricata*, *fasciculata*, *bina*, *terna*, *quaterna*, *stellata*. Directio efficit folia *erecta*, *rigida*, *patentia*, *horizontalia*, *assurgentia*, *inflexa*, *rectinata*, *recurvata*, *dependentia*, *submersa*, *natans*, in locis aqua inundatis; & folia *Radicans*, quæ scilicet radices emittunt. Ab insertione, sunt *Petiolata*, dum cauda vel Petiolo donantur, vel *sessilia* si illo carent, connata si simul junguntur, decurrentia si per caulis superficiem, producta basi, excurrunt, *amplexicaulia* si caulem undique amplectuntur, *perfoliata* ubi a caule quasi in medio perforari videntur. Figura Foliorum est *subrotunda*, *orbiculata*, *ovata*, *oblonga*, *cuneiformis*, *lanceolata*, *linearis* &c. Anguli rursus constituant folia 3, vel *quinq[ue] angularia*, *rhombea*, *trapeziformia*. Sinus in Peripheria efficiunt folia *cordata*, *reniformia*, *sagittata*, *basata*, *lacinata*, & *pinnatifida*, quæ scilicet in varias partes nempe lacinias dividuntur. A structura marginis oriuntur Folia *integerrima*, *ferrata*, *ciliata*, *dentata*, *spinosa*: ab apice folia *obtusa*, *truncata*, *acuta*, *acuminata*, *mucronata*, *cirrofa*, quæ scilicet appendice filiformi, plerumque intorta terminantur: a superficie desumuntur Folia *nuda*, *nictada*,

## §( VII )§

*da, lucida, colorata, nervosa, trinervia, dum tres habent insigniores nervos; his succedunt folia venosa, bullata, rugosa, punctata, villosa, rumentosa, sericea, lanata, barbata, pilosa, scabra, bispida, aculeata.* A substantia dicuntur teretia, scilicet cylindrica, depressa, compressa, carinata, compacta, tubulosa, caenosa, pulposa, triquetra, lingulata, ensiformia. A duratione in Planta ipsa sunt folia decidua, nempe caduca, persistens, perennia, sempervirentia.

## X.

Composita dicuntur folia, dum *Petiolum simplex* dividit solet; compositorum deinde foliorum differentiae a numero & dispositione foliolorum posita. In singulo Petiolo deducuntur, sunt enim articulata, conjugata, digitata, sive digitis similia; *Pinnata* rursum, dum plura foliola, secundum Petioli longitudinem utrinque disponuntur. Sed hoc facilius ex plantis ipsis, quam a simplici descriptione intelligi poterunt.

## XI.

*Fulcra* adminicula sunt, quæ Plantæ vitam commodiorem reddant: *Fulcra*, inter hæc nominantur, 1. *Stipula* membranæ scilicet, sive squame, quæ dum parva, diversæ sèpius figure, ad basim foliorum sitæ, quæ in Leguminosis plantis sèpe occurrant, uti in *Piso*, *Vicia*, *Lathyrus*, &c. 2. *Bractea* est folium illud quo nonnulli flores sustinentur, atque non figura tantum, sed præsertim colore variat a reliquis Plantæ foliis; exempla a *Labiatis* petuntur, *Salvia*, *Lavandula*, *Ocymo* &c. 3. *Spina* est mucro Plantæ, qui a ligni substantia ortum dicit, quemadmodum in *Pruno*, *Rhamno* &c. 4. *Aculeus* est mucro Plantæ ejus cortici tantum adhærens, uti in *Rosa*, *Rubo* &c. 5. *Stimuli* urentes, sunt tubuli, sive pili materia corrosiva repleti, qui dolorem in cute excitant, uti ex *Urtica* & *Jatropha* appareat: hæc dici possunt *Arma* quibus Plantæ ab animalibus, aliisque externis injuriis defenduntur. 6. *Cirrus* est vinculum filiforme, plerumque spirale, quo stirpes infirmiores vicinis Plantis adhærent, *Vitis*, *Pisum*, *Bignonia*, luctuosa præbent Cirrhorum exempla. *Glandula* excretoriz, & pili, qui in eis excretorios plantarum ductus recensentur, Fulcri quoque nomen a Botanicis obtinuerunt; ideo posteriori jure *Pesiulus*, sive cauda tenuis, qua major foliorum pars ramulis Plantarum adligatur, & *Pedunculus*, quo flores tantum sustinentur, in harum partium numero adnotari debent.

## XII.

## ( VIII )

### XII.

Fructifica-  
tio. *Fructificatio essentialis vegetabilium pars Temporaria, generationi di-*  
*cota, antiquam terminat Plantam, novam gignit, constatque Flore, &*  
*Fruſtu. Partes floris sunt calyx, corolla, stamen, pistillum; Fructus vero*  
*Pericarpium, Semen & Receptaculum.*

### XIII.

Calyx ejus-  
que species. *Calyx exterius efficit floris involucrum, atque a cortice Plan-*  
*tae sensim attenuato procedit; ejus species septem numerantur. 1. Pe-*  
*rianthium, quo flos tantum, vel fructus, vel integra regitur fructifi-*  
*catio. 2. Involucrum proprium est Calyx Plantarum Umbelliferarum, di-*  
*citur Universale dum basim occupat majoris umbellæ. Partiale vero,*  
*ubi singulas cingit umbellulas. 3. Amentum est congeries squamarum,*  
*quaæ circa filum disponuntur, & flores custodiunt, in peculiari præfer-*  
*tim arborum classe, uti in Corylo, Pino, Alno &c. 4. Spatha est Calyx*  
*membrana tenui compositus; longitrus rumpitur, observaturque*  
*in Liliaceis, Asphodelo, Narciso &c. 5. Gluma est Calyx Graminum sive*  
*Cerealiuum Plantarum, qui sæpe binis constat valvulis, avicularibus flo-*  
*rem amplexantibus; ex his altera sæpe Arista, sive tenui & rigidiuncu-*  
*la appendice terminatur. 6. Calyptra est Calycis species, quaæ in*  
*Muscis observatur, & cucullatam formam præfert, atque Antheram regit.*  
*7. Valva denique est Calyx membranaceus, a quo Fungi egrediuntur.*

### XIV.

Calycis dif-  
ferentiaz. *Nonnullæ Plantæ Calyce carent, ideoque non est essentialis fructi-*  
*ficationis pars; ejus differentiaz a structura pendent; aliquando enim*  
*calyx est monopeltitus, unico nempe folio compositus, sæpe vero 2-fid-*  
*dus 4-fidus, multipartitus, tubulosus, acutus, obtusus, inflatus, spinosus*  
*aculeatus. Calyces a Bracteis florum distinguuntur, quoniam decidenti-*  
*bis floribus, Calyces plerumque exsiccantur: Bractez tamen persisten-*  
*tes sunt. Calycis rursum definitiones generales varie, a diversis tra-*  
*duntur auctoribus; nos aptiores ex his adnotabimus. Malpigh: *Calyx**  
**floris basis est, & fulcimentum, sua corporatura foliorum stamina fuerit, quia**  
**& iporum progressum plerumque cooperit.* Ludwigius: *Calyx sive Pe-**  
**rianthium, est membrana exterior floris.**

### XV.

Corolla. *Corolla est Liber, interior nempe corticis substantia colorata,*  
*quaæ constat Petalo, sive folio floris, colore insigni prædicto. Corolla*  
*vel*

## ¶( IX )¶

vel componitur uno folio, id est *Petalo*, & tunc dicitur *Monopetala*; vel pluribus coagmentatur, & tunc *Polypetala* nuncupatur. *Tubus* est *Corollæ monopetalæ* pars inferior, fistulosa, tubulo simillima; *Limbus* vero est pars ejus superior expansa. Inferior *corollæ Polypetala* pars attenuata, *Unguis*, superior vero plana, largior, *Lamina* appellari solet. *Corollæ monopetalæ*, sive integræ plures habemus species, quæ a partis superioris, *Limbi* scilicet, diversa figura, ortum ducunt. *Campaniformis* est *Corolla Monopetala*, æquabiliter expansa, inflata in *Campanæ* formam, absque tubo insigni, uti in *Campanula*, *Convolvulo* &c. *Infundibuliformis* componitur *Limbo* conico, cum tubo longissimo, quemadmodum in *Primula*, *Vinca* &c. *Hypocrateriformis* dicitur, dum *Limbus* planus tubo imponitur. *Flos Rotatus*, sive *corolla Rotata* vocatur *Flos* ille, cuius *Limbus* planus nullo gaudet tubo. *Corolla* deum *Ringens*, *Labiata*, aut *Personata*, limbo prædicta est irregulari, qui fere semper in duo labia dividitur, uti in *Salvia*, *Marrubio*, *Digitali*.

Corollæ  
monopetalæ  
species.

## XVI.

Floris, sive *corollæ Polypetalæ Laminæ*, quæ pars est superior, Corollæ diversas appellationes obtinet: *Petala* siquidem quatuor in crucis formæ, *hypetalæ variæ* disposita, *Cruciformem* *Corollam* constituunt, uti in *Brassica Rapa*, *Nasturtio*. *Flos Papilionaceus*, aut *Leguminosus* dicitur, *Corolla Polypetala*, quæ *Petalis* constat, *Papilionis* insecti formam, dispositione sua mentientibus: *Petalum* itaque inferius, a figura sua *Carina* nuncupatur, lateralia duo, *Ale* sunt, superior *Vexilli* nomen habet. Mitto flores *Polypetalos* regulares, irregulares &c.

## XVII.

*Nectarium* appellatur in multis floribus, postrema *Corollæ* pars, *Nectarium*. quam Linnæus, primus omnium, in lucem revocavit; ejus officium est dulcissimi humoris guttulas in flore colligere, & retinere. Plantæ quædam capsulas peculiaris structuræ pro nectariis possident, *Antirrhinum*, *Aconitum*, *Delphinium*; aliae Glandulas, uti *Antiscorbutica*; aliae Coronas, uti *Pafflora*.

## XVIII.

Corolla a Calyce distinguitur, quoniam stamna cum petalis situ alternant, dum pauciora sunt, in Perianthio tamen, stamna laciniis calyce, quo-ejus opponuntur. Sæpe *Corollæ* limbus dividi solet, tunc laciniæ numero inter se variant; Limbus enim est *bifidus*, *3-fidus*. *Bipartitus*, *3-partitus*, *5-partitus*, *multipartitus*. In *Corollis Polypetalis*, numerus

B

Peta-

## XX. 18

Petalorum Grecis vocabulio distinguitur, nempe *Monopetalus*, *Dipetalus*, 3-petalus, 4-petalus, & denique *Polypetalus*, cum numeroa sunt Petala. *Fabius Columna Neapolitanus*, primus fuit qui Petali nomen adhibuit, ut illa tantum designaret folia, quibus flores, sive Corolla componuntur.

## XIX.

Stamina. *Stamen* est *Viscus pro Pollinis preparatione*. Fila illa tenuia, quæ in omnibus ferme floribus deprehenduntur, crassaque extremitate dominantur, staminum nomine apud Botanicos veniunt, atque tribus constare solent partibus. 1. *Filamentum* est pars quæ elevat, & sustinet Antheram. 2. *Anthers*, nempe capsula diversæ figure, in apice filamenti; Pollines, sive Farina tenuissima repletur, illamque statu tempore dimittit. 3. *Pollen* est pulvis Aneberarum, qui in humido pistilli disruptur, atomosque elasticos ejaculat. Nonnulli inter celebriores Botanicos, stamina partes esse excretorias statuerunt, alii vero, quod masculina sint fructificationis organa, ostendere conati sunt. Analogia, innumera experimenta, observationesque Microscopicas, nullum de postrema hac sententia dubitandi locum reliquerunt, uti infra ostendemus. Filamenta in staminibus non raro desiderantur, Anthers vero numquam desunt: Filamenta rursum variant *numero*, *figura*, *insertione*, præcipue tamen circa Pistillum collocantur; *equalia* sunt, *inequalia*, vel *inter se convexa*. Anthers esse solent vel *solitaria* a se invicem, vel *connatae*, vel ad latera Filamentorum disponuntur. Figura denique Pollinis sive Farinæ staminum, fere semper differt, prout classes, & genera Plantarum inter se differunt.

## XX.

Pistillum est *Pistillum est viscus fructui adhucens, pro Pollinis receptione*. In massum organum feminini Florum parte, inter stamina medium locum tenet Pistillum, scilicet femininum generationis vegetabilis organum, cuius manus est, farinam a staminibus emissam recipere, atque inde ad Germina, sive tenella semina transmittere; si enim seminum Embryones, farina illa privantur, germinationi prorsus inepti evadunt. Pistilli pars inferior

Germen, Stylus, Stigma. *Germen dicta*, est teneri fructus rudimentum. *Stylus*, qui non semper adest in floribus, est pistilli intermedia pars tenuis, quæ tertiam, nempe *Stigma* elevat: *Stigmatis officium* est, summitate sua, peculiari quodam humorē semper madida, farinam a staminibus emissam, recipere pro fecundatione, ut supra innuimus. *Stylus variat numero, proportione, divisione, & figura*, sèpissime enim plures in pistillo stylis numerantur, atque tandem eodem tempore stigmata. Atque hæ sunt

præ-

## ( XI )

principiæ floris partes; quæ vero ejus effentiam constituant sunt Att. Effentia theræ, & Stigmata, sine quibus, nulla unquam erit seminum fecunda. Florum. tio: nunc vero de fructu agendum est.

### XXI.

*Pericarpium* est *Viscus* gravidum *seminibus*, quæ matura dimittit. *Pericarpium* Fœcundatione peracta, *Pistilli* germen augetur, atque abit in *Pericarpium*, in quo matura semina continentur. *Pericarpii* partes, in genere plures sunt, atque Plantarum diversa genera, diversæ rursus figuræ *Pericarpia* gerunt. *Capsula* primum *Pericarpii* genus, est cavitas membranacea, quæ diversa ratione sponte aperitur, constatque 1. *Valvula*, sive *Valvula*, parietibus externis, pro seminum custodia: 2. *Dissepimentum* est membra, sive *Dissepimentum*, quæ cavitatem, interne in plures dividit concamerationes: 3. *Columella*, quæ paries cum *seminibus* in medio connectit: 4. *Loculus*, sive *Columella*, scilicet singula pars cavitatis, quæ semina continet: *Capsula*, Loculamenta numero loculamentorum dici solet 2-locularis, 3-locularis, multilocularis.

### XXII.

*Siliqua* est *Pericarpium* 2-valve, in quo semina, binis valvularum *Siliqua*. futuris adhaerent. *Legumen* dicitur, *Pericarpium* 2-valve, in quo semina, *Legumen*. *na* unicam tantum futuram occupant, uti in *Piso*, *Phaseolo*, *Vicia* aliisque Leguminosis. *Folliculus*, est *pericarpium* membranaceum, inflatum, univalve, vel 2-valve, uti ostendunt *Astlepias*, *Apocynum* &c. *Drupa*, est *pericarpium* externe carnosum, succulentum, intus semen cortice osseo testum, sive Nucem, continens, ut in *Pomo*, *Juglante*, aliisque. *Pomum*, est *pericarpium* carnosum, & succosum capulam continens, uti in *Malo*, *Cydonia*: *Bacca* dicitur, *Pericarpium* carne, sive succo repletum, semina nullo ordine disposita includens: ubi unicum continet semen, Græco vocabulo appellatur *Bacca Monosperma*; exempla *Baccæ* habemus ubique, in *Sambuco*, *Myrto*, *Solano* &c. *Strobilus* deinde, est *Pericarpium* compositum squamis, in cornicam figuram dispositis: *Fructus Pini*, & *Abietis* hoc nomine donantur.

### XXIII.

*Semen* pars vegetabilis decidua, novi rudimentum, Pollinis irrigatio. *Semen*. ne vivificatum: matura semina, jam farina florum vivificata, dum e Plantis decidunt, terræ sinu excepta, novi vegetabilis rudimentum præbent. Instrumenta hæc multiplicationis Plantarum, pluribus comprehenduntur organicis partibus, primo nempe, *Corculo* sive effentia fructus, Corculum. B 2 quæ

## ( XII )

**Plumula :** quæ dividitur in *Plumulam*, & *Rostellum*. *Plumula*, dum semina exclusa duntur, squamosa est, & folia cum ramis gignit; *Rostellum* vero descendit & radices efformat. *Cotyledon* in seminibus, est corpus laterale crassum, spongiosum, quod saepe in duas partes dividitur; ex cotyledonibus nutrimentum hauriunt, in primo stadio vegetationis semina fere omnia, exceptis *Muscis*. *Hilum*, dicitur cicatrix illa, orta a loco ubi semina Pericarpio adligantur. *Arillus* appellatur, tunica exterior, qua semina involvuntur. *Coronula* appendix est seminum, calyculo membranaceo simillima, qua semina ipsa, huc, atque illuc volitant. *Pappus* est corona ejusdem naturæ, pilis composita: hac ratione præsertim Plantæ flore composito disseminantur, atque ab una ad alteram Regionem, ope ventorum pervenient: admirabile hujus observationis exemplum præbet *Erigeron Canadense Linn. Sp. Pl.*, cuius semina volitando, plantam antea rarissimam, vulgarem nunc per Europam reddiderunt. *Alæ* vel membranæ quædam tenues, in nonnullis quoque seminibus, pro volatu reperiuntur, uti in *Tephritis*. Semina denique Muscorum, quæ Propagines omnino decorticata sunt, *Propagines* appellantur.

## XXIV.

**Receptaculum** est basis, qua partes Fructificationis connectuntur. Flos, & fructus basim habent, qua sustinentur; hæc itaque pars, quoniam descripta organa recipit, ideo *Receptaculum* dicitur: si singulos sustinet Flores, nuncupatur *Receptaculum proprium*, si florem cum fructu simul, erit receptaculum fructificationis; contra vero receptaculum Floris, vel Fructus nuncupabitur, si hanc, vel illam tantum partem sustinebit. *Receptaculum commune* connectit flosculos Florum compositorum; in hoc siquidem casu numerosi flores, unica gaudent basi; hæc vero est vel *punctata*, scilicet punctis adspersa, vel *pilosa*, vel *paleacea*, vel *plana*, vel *convexa*.

## XXV.

**Flores Completi** *Completi Flores Simplices* sunt, vel *Aggregati*. Primus omnium Vaillantius, Flores, qui Perianthio, & Corolla gaudent, *Completos* appellavit; *Incompletus* deinde flos, caret Perianthio, vel Corolla; Flores *Apetali* calyce, Nudi vero Corolla destituuntur. *Flos simplex* unica F. *Aggregati* constat Fructificatione: *Aggregatus* dicitur, cum aliqua pars Fructificationis, communis est pluribus Flosculis; atque est, vel proprio *Aggregatus Compositus*, *Umbellatus*, vel *Cymosus*: quod si Flosculi plures, receptaculo, vel calyce communi continentur, aggregati sunt. De *Umbellatis* floribus supra disputavimus: *Flos Cymosus* est cum Pedunculi, qui flores sustinent, e communi prodeunt receptaculo, verum ex diversis

### ( XIII )

versis locis oriuntur. Aggregati, proprie dicti, componuntur flosculis pedunculo praeditis, & communi receptaculo comprehensis, uti in *Scabiosa*, *Dipsaco*, *Globularia*.

### XXVI.

*Compositus Flos est aggregatus, continens flosculos plures sessiles, re-* Flores Com-  
ceptaculo communi integro, & Perianthio contentos, & antheris in cylindri positi.  
*dsum connatis instructos.* In flore itaque composito, reperiri debent 1.  
Receptaculum commune magnum integrum: 2. Perianthium commu-  
ne: 3. Antheræ 5, in cylindrum connatae, filamentis liberis: 4. Flo-  
sculi monopetali absque Pedunculo: 5. Germen Monospermum, sub sin-  
gulo flosculo. Tres rursus Compositorum Florum differentiæ, a tri-  
bus flosculorum generibus oriuntur. Primum tenent locum Flores Li-  
gulati, ( *Semiflosculosi a Tournefortio dicti* ) in quibus Corollæ omnes, sculosi.  
a parvo tubulo, versus exterius latus expanduntur, & lingulæ formam  
acquirunt: 2. Sunt Tubulati ( *Flosculosi Tournef.* ) in quibus corollæ  
tubularæ, limbo æquali, & regulari gaudent: 3. Succedunt Ra-  
diati, atque in his Corollæ in Disco, sive centro Floris, tubulosæ, in Radiati.  
ambitu vero, sive radio difformes, & plerumque ligulatæ sunt; *Radius*  
tamen, vel constat Flosculis ligulatis, vel tubulosis, vel quandoque  
subnudis, uti in *Artemisia*, & *Gnaphalio*.

### XXVII.

Postquam Florum, tum simplicium, cum aggregatorum præcipuas Flores pleni,  
varietates explicavimus, multa tradi possent de hiis, quæ in Flori- multiplicati,  
bus occurunt, dum vel calyx, vel petala, vel stamina, nutrimento proliferi.  
uberiori, aliave de causa, propriam amittunt formam, atque vel majo-  
res, vel multiplices evadunt: nascuntur hac ratione Flores luxurian-  
tes, multiplicati, pleni, proliferi, qui omnes, tanquam monstra vegeta-  
bilium considerantur: In floribus Polypetalis stamna, frequenter Pe-  
talorum proprietates assumunt, ex quo deinde oritur, quod nulla in  
floribus hujusmodi, deprehendantur semina; nam cum sine stamina or-  
gana generationis Plantarum, si eorum œconomia perturbatur, fœcun-  
datio omnino evanescit; quemadmodum patet ex *Rosa*, *Dianthus*, *Ra-  
nunculo* aliisque.

### XXVIII.

Quemadmodum viventia omnia generationis opera multiplicantur, Vegetabi-  
ta & Plantæ, quæ quamvis manifestis sensationibus orbatæ, tamen vi- lium vita.  
æ quodam genere donari certum omnino est; eadem rursus ratione

ac

## §( XIV )§

ac animalia multiplicari debent. Ratio qua a seminibus, nempe ovis Plantæ oriuntur, *nætritio*, *states diversæ*, *bosmorum propulsio per vasa diversi generis*, *motus*, quoniam Solis directionem sequuntur flores, & folia per noctem flores ipsos involvunt; *morbi diversi*, quibus Plantæ afficiuntur, organica denique partium structura; Vegetabilia uti animalia, corpora viventia esse declarant. Viventia quæcumque ab ovo gigni, sententia est, ab omnibus nostri Ævi Philosophis, satis superque probata: vegetabilium semina ova esse patet, quoniam ex illis individua ejusdem speciei nascuntur, & quia in omnibus Plantis semina reperiuntur, quamvis non in omnibus aperte ostendi possint: *Muscorum* enim semina Linnæus, *Fucorum* Reamurius, *Filicum* Bobartius, *Fungorum* Michelius, detexerunt. *Ovum non fœcundatum germinare*, negat omnis experientia; adeoque ♂ ova Vegetabilium. *Omnis species Vegetabilium flore ♂ fructu instruitur*, etiam ubi visus eisdem non assequitur. *Muscorum* flores a Dillenio, *Fungorum* stamina a Michelio, *Lemna* flores a Vallisnerio, *Fucorum* a Reaumurio, delineantur, ut alia omittam. Plantæ quæ flore & fructu carere, a nonnullis Botanicis dicuntur, fructificationes gerunt, quæ parvitate sua detergi adhuc nequeunt, vel rursum ad Regnum animale pertinent, uti *Corallia*, *Sertulariae* &c. quæ omnia, vera Polyporum domicilia esse, Cl. Viri nuper luculentissime ostenderunt.

## XXIX.

Florum minus. *Flos omnis instruitur antberis, ♂ stigmatibus. Flos antecedit omnem fructum*, uti generatio partum; in fructificatione igitur reperiri debent organa, quæ generationem absolvunt.

## XXX.

Antheræ sunt organa masculina. *Antberas esse Plantarum genitalia masculina, ♂ eorum pollen veram genitiram, docet essentia, præcedentia, situs, tempus, castratio, Pollinis structura*. Antheræ farina repletæ, aperiuntur statim ac stigmata Pistilli, perfecta sunt; stamina in floribus hermaphroditis, semper circa germen disponuntur; filamenta tempore fœcundationis, sæpe manifeste accedunt ad stigma, uti in *Scrophularia*, & *Saxifraga*, atque in classe Monœcia, flores staminiferi, sive masculi, supra pistilliferos collocantur, uti in *Zea*. Castrantur a parte masculina flores, dum detractis Antheris, antequam farinam illam emittant, semina germinare nequeunt; luculentissimo experimento, hoc apparet in *Melonibus*: Possunt rursum species hybride produci, si farina hujus floris, immittatur supra floræ diversi generis. Structura Pollinis fœcundantis eadem est in omnibus ejusdem classis generibus, atque in omnibus ejusdem generis speciebus.

## XXXI.

( XV )

XXXI.

*Stigmata Germini ubique adnexa, esse genitalia feminina, probat es-  
tentia, praecedentia, situs, tempus, casus, abscissio. Germina sunt cer-  
te organa feminina Plantarum, nam fructus rudimenta continent, que  
modum uberioris infra explicabimus.*

XXXII.

*Generationem vegetabilium fieri mediante Pollinis antherarum illapsu Generatio  
supra stigmata nuda, quo rumpitur Pollen, efflatque auram seminalem, qua Plantarum.  
absorbetur ab humore stigmatis; hoc confirmat oculus, proportio, locus,  
tempus, pluviae, palmicole, flores mutantes, submersi, syngenesia; immo  
omnium florans genuina consideratio.*

XXXIII.

Aperte satis, ex hisce Philosophiae Botanicæ verbis pater, quomo- De fœcunda-  
do fœcundatio in Plantis eveniat, nonnulla tamen & nos quoque, ut tione Plan-  
res clarior evadat, in præsentia adnotabimus. Vulgare profecto illud  
est experimentum, quo deprehenditur, farinam Antherarum, semper de-  
ferri supra stigmata, ibi in peculiari quodam humore rumpi, atque  
auram seminalem embryonibus deinde suppeditare. Ex Linnæi senten-  
tia, Cl. Needham, Anglus, Pollinem in humore stigmatis explodere au-  
ram quoque seminalem docet, contenditque integros farinæ illius glo-  
bulos, pistilli canaliculos subire. Plantæ qua floribus tantum fœminini-  
nis præditæ sunt, semper Plantis staminiferis, sive masculis vicinæ na-  
cuntur; Pluviae farinam antherarum, in unicam redigunt massam, &  
fœcundationem imminuunt, hinc dum segetes florent, si copiosa acci-  
dit Pluvia, spes Agricolarum evanescit; fumus contra noxius evadit,  
quoniam stigmatis humorem exsiccat. Palme in Oriente fœcundantur  
per ramulos florum masculorum, qui supra flores fœmineos adligantur;  
quod si hoc negligitur, numquam Dactyli maturantur. Pistacia in Si-  
cilia colitur hoc modo; Plantæ qua flores, tantum masculos ferunt,  
inter Plantas fructiferas, nempe fœminas, crebro collocantur, ut farina,  
ventis adjuvantibus, ex mascula ad fœmineam arborem pertingat. Pal-  
mam fœminam Horti Berolinensis, fœcundarunt Botanici Regii, flor-  
ibus masculis, a Palma Lipsiensi depromptis. Vide Lee on Botany pag.  
*VII, VIII.* Plantæ in Stagnis submersæ, caules extra aquam attollunt  
fœcundationis tempore, ne farina iadatur, uti accidit in *Nymphaea*,  
*Vallisneria* &c.

XXXIV.

## XXXIV.

Veterum de fœcundatione doctrina. In veterum Scriptorum monumentis multa reperiuntur, quæ nos docent, illis Plantarum fœcundationem perspectam fuisse: Herodotus siquidem, Theophaestus, Plinius, aliquie, in Palmarum, Ficuum aliarumque stirpium historia, ejus mentionem iniiciunt: pauca in præsentia ex Plinio adnotasse sat erit; ait enim *Lib. 13. Hist. Nat. cap. 4. Arboribus, immo potius omnibus quæ terra gignat, herbisque etiam, utrumque sexum esse Naturæ diligentissimi tradunt; quod in plenum satis sit dixisse hoc in loco: nullis ramen arboribus manifestius. Mas in Palmite floret, fœmina citra florem germinat tantum spicæ modo.* Attamen quamquam hæc veteres intellexisse, manifestum sit; verum in eorum scriptis organa generationis, nunquam recte descripta reperiuntur; immo etiam sexus distinctio, plerumque erronea deprehenditur, fœminæ enim mares, mares contra fœminæ appellantur.

## XXXV.

Recentiorum observationes. Præcipui qui inter recentiores, doctrinam de sexu Plantarum, illustrare conati sunt, fuerunt inter primos Morilandus, Græwius, Blarius, & Camerarius: Post hos Geoffroyus, Vaillantius, innumeris observationibus, hanc sententiam confirmarunt; denique Cl. Linnæus, & Needham, rationem, qua fœcundatio in Plantis peragit, aperte demonstrasse visi sunt; deprehenderunt siquidem, quemadmodum supra innuimus, stamina, sive florum organa masculina, Pollinem ex Antheris, statu tempore, supra Pistilli stigmata demittere; pollinis deinde particulas in humore stigmatis rumpi, atque atomos quosdam elasticos ejaculare observarunt, adeoque hac ratione, semina perfici, ac fœcundi arbitrati sunt. Verum cum nihil adhuc tradiderint de ulteriori farinæ fœcundantis progressu, usque ad germina, operæ pretium esse existimavimus, ea quæ a nobis observata sunt, breviter adumbrare. Acutissimis itaque globulis microscopicis, a Cl. P. de Turre, Physicarum rerum experientissimo, ac natræ scrutatore diligentissimo, elaboratis, farinam hanc staminum, perlustrare coepimus; singulæque particulas, capsulas esse pellucidas, diversæ figuræ, corporibus numerosissimis repletas, invenimus: membrana capsularum facili negotio disrupta, per superficiem Talci Microscopici, particulæ granis Pollinis contentæ, diffunduntur, atque in tenuissimo quodam fluido vagantur. Eodem experimento, in diversis Plantarum generibus instituto, pluries de rei veritate edocti, Pistillos, sive partes fœmininas generationis vegetabilis perlustravimus: Dum Antheræ apertæ sunt, stigmata Pistillorum, quæ plerumque villis & lanugine abundant, farina staminum undique scatent; villos hujusmodi, microscopio adjuvante, canales esse

## XXVII.

esse pervios, modo simplices, modo in media parte bifidos, observavimus; Canales hujusmodi communicant semper cum vasis longitudinalibus, quae a pistilli stylo ad embryones usque excurrent, saepissime in harum partium scrutatione offendimus, pilos flagitatis, supra quos farina staminum deciderat, particulas capsulis concentas, in cavitate sua receperisse. Materia haec fecundans, a canalculis villorum excepta, longitudinalibus vasculis committitur, atque ita ad Germina pervenit. Singulare tamen est, nos in *Solanum officinale*, vidisse pilos Pistilli, fecundatione instantे, summitatem suam, per gradus distendere, ut granulos farinæ recipient, atque ut illorum particulae ulterius progrederiantur. Habitus itaque elasticus, materia est minutissimis composita granulis, quae per pistilli tubulos, ad germina pertingunt: nos enim non modo in villorum cavitate, sed in pistilli quoque canalculis, magnam particularum fecundantium copiam offendimus. Haec, quae uberioris in peculiari commentario pereratari propediem debent, hic tantum indicare, voluimus, ut unusquisque intelligeret, nullum adhuc superesse, de hac sententia dubitandi locum.

## XXXVI.

Fecundationis attributa, quae modo tradidimus, Florum munus, & Differentia essentiam constituunt. Verum tamen in ipsis floribus, non semper masculinæ, ac femininæ generationes partes simul sunt reperiuntur; saepè enim stamens in hoc germinat in altero flore, sed in diversis ramis ejusdem plantæ deprehenduntur; saepissime in plantis diversis. In genere vero vegetabilium flores, organa masculina, & feminina simul continent, quoniam obrem,

## XXXVII.

*Flos, qui Antheras, masculus, qui Stigmata, femineus, qui utraque Differentia continet, Hermaphroditus dicitur.* Hermaphroditi flores, illi scilicet, qui sexus in floribus stamina cum pistillis simul ferunt, omnium frequentissimi sunt, quod in Regno animali prorsus contrarium esse experimur: In plantis hisce facilissima est fecundatio, verum ubi stamina a pistillis disjunguntur, si in eadem planta flores masculi occurunt, semper ramulos superiores occupant, ut pulvis Antherarum supra pistilos facilius decidat: attamen si flores masculi in hoc, feminei vero in altero ejusdem speciei individuo collocantur, ope ventorum fecundatio peragitur, atque sere semper accidit, quod stirpes feminæ juxta masculas crescant, ut possit ex una ad alteram polleni transferri, uti ostendunt *Palma*, *Pistacia*, *Mercurialis*, *Humulus*, &c.

## C

## XXXVIII.

**Charakteres Systematum.** Atque hæc sunt præcipua, quæ in plantarum œconomia, & illarum præsertim secundacione occurruunt: Partes fructificationis, quoniam in omnibus vegetabilibus adesse satis constat, ideo hæc fundamenta systematis Botanici, Cl. viris exhibuerunt: quicumque igitur artificialia condiderunt systemata, floris corollam, vel calycem, multi fructum, & semina, pro essentiali charactere assumpserunt. Scire tamen oportet, methodum artificialiem, multum a naturali differre; naturalis namque omnes considerat plantarum partes, ex quarum analogia, vel differentia, illas in Classes, Ordines, Species, & Varierates distinguit: artificialis vero nonnulla tantum organa, pro basi assumere solet; attamen cum nulla adhuc perfecta, absolutaque naturalis methodus prodiderit, ideo artificialiem accurate, quantum fieri potest, elaboratam, tradere summi viri conati sunt. Præcipua Botanicorum systemata, quibus multum scientia naturalis acceptum referre debet, sequens tabula ostendit.



XX XIX

*Tabula Systematicorum, qui diverso tempore Methodos Botanicas  
Artificiales considerunt.*

Nomina Auctorum	Anni Editionum	Fundamenta Systematum	Numerus Classium	Numerus Sectionum
Andreas Cæsalpinus <i>Italus.</i>	1583	Magnitudo, Radices, fructus, Corculi semenum dispositio.	15	47
Robertus Morisonius <i>Scotus.</i>	1680	Magnitudo fructus, habitus; pro Fructista, habetur.	18	108
Paulus Hermannus.	1687	Fructum primo consideravit, modo nudum, modo Pericarpio tectum.	25	82
Christ. Knautius.	1687	Rajani Systematis Principia, flores scilicet, fructus, semina.	17	62
Hermannus, Boerhaavius <i>Belga.</i>	1710	Hermann, Tournefortii, & Raji Systemata conjunxit. Locus natalis, magnitudo, Folia, Fructificatione.	34	104
Joannes Rajus <i>Anglus.</i>	1682	Folia, Corolla, Fructus, Semina; Tournefortium sequens, e Fructista, Corollista factus est.	33	125
Augustus Quirinus Rivinus.	1690	Calyx, Corolla, dispositio; regularitas scilicet, & irregularitas florum.	18	91
Christophorus Knautius.	1716	Regularitatem primum, deinde numerū Petalorum, in Floribus consideravit.	17	122
Christianus G. Ludwigius.	1747	Florum dispositio, five methodus Riviniana; deinde sexus, Corolla, Calyx.	18	70
Joseph Pitton Tournefortius <i>Aquisextiensis.</i>	1757	Corollista, regularitas, & figura florum: Corollam primum, cum duplici situ receptaculi consideravit.	22	122
Julius Pontedera <i>Venetus.</i>	1720	Tournefortii regulas adoptavit. Corolla, Calyx, Stamina, fructus, dispositio florum.	27	110
Petrus Magnol <i>Callus.</i>	1689	Calycista, cum fructus descriptione.	79	285
Carolus Linnaeus Svecus.	1737	Systema sexuale, secundum numerum, proportionem, & situm staminum cum Pistillis.	24	104
Ch. Adansonius <i>Gallus.</i>	1763	Systema naturale propositum, secundum omnes partes vegetabilium, omnesque proprietates.	58	

Claves Lin-

næanæ.

Cum difficultatum profecto sit, juxta leges systematis naturalis, Plantarum intelligentiam Tironibus communicare, ideo nos inter artificialia, breviorem, facilioremque, nempe Linnæanum, tradere constituimus. Sistema Linnæanum, staminum attributa pro fundamento agnoscit, & considerat primum illorum numerum, proportionem, & situm. Omnia Genera Classes 24. efformant; harum viginti hermaproditas, reliquæ vero Plantas sexu distinctas respiciunt. Ordinum characteres a numero stylorum desumuntur: Nomina Græca sunt; atque classes sic se habent.

I. CLASSIS MONANDRIA, a μόνος unicus, & αὐτῷ maritus. Scilicet maritus unicus, sive unicum stamen, in flore hermaprodito. Ordines in hac classe duo sunt; omnes ordines græcis vocabulis designantur, nempe *Monogynia*, *Digynia*, *Trigynia* &c., atque ita dicuntur a γυναι femina, adhibitis numeris græcis μόνος, δις, τρεις, unus, duo, tres. Stylorum numerus desumitur a basi stylorum; stylo tamen deficiente, a numero stigmatum. Ordines petuntur. In prima Classe plures reperiuntur plantæ aromatiæ, & calefacientes, ut *Zingiber*, *Amomum*, *Galanga*, *Curcuma*. Filamentum plerumque in hac classe petali formam haberet.

II. DIANDRIA a δις, duo, & αὐτῷ maritus, nempe *Stamina duo in flore hermaprodito*. Ordines 3.

III. TRIANDRIA, *Stamina tria, in flore hermaprodito*. Ordines 3. Ordo secundus continet Plantas Cereales, sive Gramina, quarum folia Jumentis, & Pecoribus latae pascuæ præbent; semina majora hominum primarium sunt alimento, minotibus aves aluntur. *Triticum*, *Secale*, *Hordeum*, *Avena*, *Milium* &c. a Medicis, aperientibus medicamentis adnumerantur.

IV. TETRANDRIA, *Stamina quatuor in flore hermaprodito*. Ordines tres. Plantæ stellatæ, quæ in primo ordine, qui naturalis est, repertuntur, diureticæ sunt, & discutentes E. G. *Rubia*, *Asperula*, *Aparine*, *Galium*. Omnes Plantæ Stellatæ, folia verticillata, caules plerumque quadratos, & asperos gerunt.

V. PENTANDRIA, *Stamina quinque in flore hermaprodito*. Ordines 6; postremus dicitur *Polygynia*; Asperifolia in primo ordine, sunt mucilaginosæ, vulnerariaæ, adstringentes, & sæpe oleraceaæ, ut *Borago*, *Ceratibe*, *Pulmonaria*, *Anchusa*, *Lithospermum*. Flores plerumque monopetalii, Campaniformes, & Infundibuliformes. Plantæ obscuri coloris, suspectæ foetiæ & venenariae, vi narcotica eminent, *Solanum*, *Hyoscyamus*, *Nicotiana*, *Atropa*, *Datura*. Plantæ umbellatæ in secundo ordine reperiuntur: Flores in Umbellam, semina semper duo, nuda; quæ in locis crescunt siccis, aromatiæ, calefacientes, & diureticæ sunt, quæ admodum *Angelica*, *Imperatoria*, *Heracleum*, *Feniculum*, *Daucus*; quæ contra in humidis occurunt, acres, & venenariae evadunt.

XXI

dunt, uti sunt *Conium*, *Cicuta*, *Gentianæ*, *Pbellandrium*.

VI. HEXANDRIA, *Stamina sex in flore hermaprodito*. Ordines 5; major pars sunt Plantæ Liliaceæ, quarum radices bulbosæ, sive hibernacula; secundum saporem, & odorem salubria, aut venenata sunt. *Allium*, *Scilla*, *Narcissus*, *Corona Imperialis*, pro suspectis habentur.

VII. HEPTANDRIA, *Stamina septem in flore hermaprodito*. Ord. I.

VIII. OCTANDRIA, *Stamina octo in flore hermaprodito*. Ordines quatuor: Plantæ, quæ bicornes dicuntur, acidæ, esculentæ & adstringentes sunt. *Erica*, *Pyrola*, *Vaccinium*, *Arbutus*.

IX. ENNEANDRIA, *Stamina novem in flore hermaprodito*. Ord. 2.

X. DECANDRIA, *Stamina decem in flore hermaprodito*. Ord. 5.

XI. DODECANDRIA, *Stamina duodecim* &c.; verum in hac classe raro numerus exactus deprehenditur, sed Plantæ, quæ a duodecim, usque ad novemdecim ferunt stamina, eadem classe comprehenduntur. In vegetabilium floribus nunquam undecim stamna observantur, adeoque nulla est hujusmodi classis.

XII. ICOSANDRIA: quamvis titulus ostendat in hac classe flores, in quibus viginti reperiuntur Stamina, collocari debere, tamen latissimo sensu hoc intelligi deberet; nam sæpe numerus major est, adeoque reliqui characteres expendendi sunt: itaque classis hæc distinguitur, a Staminibus Calycis parietibus adnatis. Ordines 6. Fructus optimi gustus, in Icosandria adsunt, uti *Panica*, *Amygdala*,

*lus*, *Prunus*, *Pyrus*, *Fragaria*.

XIII. POLYANDRIA, *Stamina numerosissima in flore hermaprodito*, a 20, ad 1000, a polus multum, & αὐγὴ maritus. Ordines 7. Fructus. Plantarum hujus classis sæpe venenati sunt, diligenterque distingui debent a fructibus classis præcedentis; exempla habemus ex *Aconito*, *Aquilegia*, *Staphisagria*, *Delphinio*, *Helleboro*, *Cbelidonio*, *Euphorbia*, *Cambogia*, & *Papavere*.

XIV. DIDYNAMIA; a δις duo, & δύομις, potentia; *Stamina quatuor*, *quorum duo longiora*, sive potentiora sunt. Ord. 3. Classis hæc, plantis constat, quarum flores hermaproditi, quatuor ferunt stamna, quorum duo, reliquis longiora sunt.

Flores peculiari gaudent structura: Calyx monophyllus, tubulatus, 5-fidus, persistens, segmentis plurimumque inæqualibus; Corolla Monopetala erecta, ad basim nectarifera, labiata, labio superiore concavo, inferiore plano, lato, sæpe trifido; stamna quatuor, tubo corollæ inserta, parallela, ex his duo longiora; omnia labio superiore tecta. Germen quadripartitum, supra receptaculum; stylus simplex, filiformis, stigma bifidum; semina nonnunquam, in Calyce ipso maturantur, unde ordo primus, *Gymnospermia* dicitur, semina enim quatuor nuda sunt in Calyce; aliquando semina in hac classe, capsula teguntur, unde ordo 2. *Angiospermia*, scilicet semina testa Pericarpio. Primus ordo Plantas propriæ *Labiatas*, secundus *Personatas* *Tournefortii* continet. *Labiatae*, vel *Verticillatae*, Aromaticæ

ce sunt odoratae, atque nervina, & cephalica facultas in foliis resideret; inter omnes eminent, *Maruna*, *Satureja*, *Tbynbra*, *Nepeta*, *Marrubium*, *Lavandula*, *Betonica*, *Mentha*.

XV. TETRADYNAZIA. Staminea sex, quorum quatuor longiora, duo vero, opposita, breviora sunt. Flores hermaphroditi, in quibus stamina sex, quorum quatuor reliquis longiora sunt, classem hanc constituant, atque hac ratione a sexta classe distinguitur. Calyx florum, 4-phyllo est, & concavus, basi gibba, nectarifera. Corolla cruciformis, retraperata. Glandulae deinde nectariferæ, ad basim staminum breviorum, classicum characterem præbent. Classis hæc omnino Naturalis, amplectitur cruciformes Tournefortii, *siliquosa* & *siliicatosa* Raj. *Siliquosa* habent Pericarpium oblongum 2-valve; *siliicatosa* pericarpio glandente subrotundo, styloque instructo. Omnia genera Antiscorbutica sunt, & gaudu donantur acri, cum aquoso mixto: adhiberi debent, dum virides sunt, siccatae enim vires amittunt: inter has plantas eminent, *Cochlearia*, *Lepidium*, *Armoracia*, *Thlaspi*, *Erysimum*, *Sisymbrium* &c.

Ordines 2.

XVI. MONADELPHIA, Staminum filaments, in unum corpus, inferne coalita; a μόνος unicus & α'δελφός frater. Classis est naturalis. Calyx sepe duplex. Corolla pentapetala, petalis cordatis. Staminum filaments ad basim connecta. Pericarpium sunt capsule, quæ stylis numero respondent: seminum forma, plerumque reniformis

est. Ord. 3. nempe *Pentandria*, *Dendandra*, & *Polyandria*. Hujus classis Plantæ omnes Malvaceæ dicuntur, atque mucilaginosæ, & emollientes existimantur, ut *Malva*, *Althaea*, *Alcea* &c.

XVII. DIADELPHIA; Staminum filamenta, in duo distincta corpora coalita, a δις duo, & α'δελφός frater; Plantæ *Popilionaceæ* Tournefortii, irregulares retraperatae Riveni. Classis hæc naturalissima est, flores leguminosæ sunt. Stamina quæ dicuntur *Diadelphia*, constant duobus filamentis dissimilibus, inferiore latissimo, infra medium membranaceo, supra in novem partes, sive filaments subalterna diviso; superiore filamento acuto-setaceo, quod implet cavitatem, in filamento inferiore reliquit. Antheræ simul sumtæ decem sunt. Pericarpium est *Legumen* longum, obtusum, bivalve. Folia Plantarum hujus classis, læta Armentis præbent pascua: semina fere omnia farinacea; quamvis non raro flatulenta, sunt tamen commune hominum alimentum, ut *Phaseolus*, *Vicia*, *Cicer*, *Pisum*. Ordines 3, *Hexandria*, *Octandria*, *Dendandra*.

XVIII. POLYADELPHIA. Staminum filaments, in tria, vel plura corpora coalita. Ordines 3. *Pentandria*, *Icosandria*, *Polyandria*.

XIX. SYNCENESIA, Stamina quinque, Antheras habent, quæ in unicum cylindrum conjugantur; nomen est a græco σύνησις, Generatio; quoniam organa masculina generationis simul connectuntur. Flores compositi Turnef.

XXIII

nef. Rivini, Raj, & Hermanni, sive *flosculosi*, *semiflosculosi*, & *radiati* ipsius Tournefortii, in hac classe collocantur. De floribus compositis vide §.XXVI. Ordines 5. Primus *Polygamia aequalis* dicitur, atque flosculi sunt *hermaphroditi*, vel *subulati*, vel *ligulati*, vel ex duobus mixti. Secundus *Polygamia superflua*: Flores disci hermaphroditi sunt, flosculi Radii vero feminei, ideoque femineæ radii superfluae sunt, quoniam semina in disco maturantur, farina flosculorum hermaphroditorum. Tertius *Polygamia frustacea*, cum flores in disco hermaphroditi, in radio vero neutri sunt. Quartus *Polygamia necessaria*, cum flosculi in disco masculi sunt, & femineis radii àndigent, alias semina abortirent. Quintus *Monogamia*, flores simplifices sunt, non compositi, tamen gerunt Antheras inter se connexas. Plantæ hujus classis in genere amaræ sunt, aromaticæ, atque in stomachi morbis convenienter, uti e.g. *Eupatorium*, *Tanacetum*, *Absinthium*, *Abrotanum*, *Artemisia*, *Marricaria*, *Cichoreum*.

XX. *GYNANDRIA*, Stamina pistillis non receptaculo insidunt, a γυναικειᾳ femina, & αρνητῳ maritus, nam Antheræ staminum, plerumque stylili lateribus adhaerent, vel supra receptaculum elongatum collocantur; proindeque flores monstruosam figuram præseferunt. Flores *Polyptalis Anomali* Tournefortii, hac classe continentur, Ordines 7, a numero staminum designantur. Plantæ *Orcbiadæ* venerem stimulant, præsertim *Vanilla*, *Satyrium*, *Orcbis*.

XXI. *MONÆCIA*, a μόνος unicus, & οὐνικὴ domus, mares scilicet cum feminis habitant in eadem domo, sed in diverso thalamo, idque accidit, cum flores masculi, & feminei, quamvis sint in eadem planta, diversos tamen occupant ejus ramos. Ordines titulos habent a nomine præcedentium classium de-promptos, uti in sequentibus; undecim tamen sunt.

XXII. *DIÆCIA*, a δίς duo, & οικικὴ domus; Flores nempe masculi, a femineis distincti, in diversa planta oriuntur. Omnes stirpes hujus classis, nunquam flores hermaphroditos habent, sed tantum masculos, vel femineos, qui in distinctis crescunt ejusdem speciei individuis: nonnullæ tantum Plantæ, quamvis flores sexu distinctos gerunt, tamen ex hac classe excluduntur, quoniam sunt species tantum generum hermaphroditorum: uti sunt *Urtica dioica*, *Valeriana dioica*, *Lycchnis dioica*. Ordines 13.

XXIII. *POLYGAMIA* a πολὺς & γόργος, nuperr̄ scilicet multiplices, & diversæ naturæ. Flores hermaphroditi una cum masculis & femineis habitant in eadem specie; quod intelligitur hoc modo, si nempe præter florem hermaphroditum, aliis flos sexu distinctus, in eadem specie reperiatur; semper tamen flos hermaphroditus aedesce debet. Ordines 3. *Monæcia*, *Diæcia*, *Triæcia*. Ordo tertius continet Plantam Polygamam singularis naturæ, nempe *Ficum*, cuius attributa sunt: In Ficu receptaculum pericarpii vices gerit, ejusque latera interna, flores simul sustinent, atque

atque includunt. Flores Ficus tantum sativæ, feminei sunt; verum binæ deprehenduntur Ficus species quarum prima sylvestris, *Caprificus dicta*, masculos tantum flores, habet; altera flores *Androgynos* in eodem receptaculo gerit, atque appellatur *Erinosyce*. Verum cum flores Ficus receptaculo includuntur, ita difficillimum est intelligere, quomodo semina fœcundari queant: Natura tamen, stupendo satis artificio, in floribus Caprifici insecta quædam, nempe *Cynipes* posuit; hujusmodi animalcula fœcundationis tempore, e floribus masculis prodeunt, & supra feminas avolando, farina undique involuta, fœcundationem absolvunt. Hinc orta est Caprificatio, five methodus, qua Caprifici receptacula, supra Ficus feminas suspenduntur, ut facilior Insectorum ab uno, in alterum florem, transitus efficiatur: attamen Ficus feminæ fructus, sepiissime maturantur absque farinæ staminiferæ opera; augetur siquidem Pericapii carnis, sapidaque evadit, semina vero sterilia sunt. Sed de his erit alias opportunitas differendi locus.

**XXIV. CRYPTOGAMIA** à  $\kappa\rho\nu\tauο\varsigma$ , occultus, &  $\gamma\alpha\muο\varsigma$  nuptiæ. Plantæ hujus classis fructificationes abscondunt, quoniam vel flores in fructus cavitate, vel adeo tenuia-

stamina ferunt, ut nudis oculis prorsus distingui nequeant. Ordines quatuor sunt, nempe 1. *Filices* (five *Dorsifera*, *Epiphylosperme*, & *Capillares plantæ*) in quibus fructificationes sunt supra folia. Calycæ componuntur squama unica: Globuli pedunculati, anulo elasto cincti, semina minutissima continent. 2. *Musci*: Charactères Muscorum sunt; Anthera calyptra testa; flores feminei distincti a masculis, absque pistillo; semina det corticata. 3. *Alge* Plantæ hujus ordinis Radices, Folia, & Caules, in unum juncta gerunt. 4. *Fungi*; charactères Fungorum parum perspecti sunt, adeoque *Linnæus* in Fungorum descripitione, Dillenii methodum sequutus est. Fungi saepe venenari; acida tamen medicamenta, antidotum efficacissimum in hoc veneno præbent.

#### A P P E N D I X.

Ordines 2. *Palmæ* primum ordinem constituant, atque fructificatione *spathe*, & *spadice*, constat. Ordo 2. Plantas aliquot incertæ sedis, & adhuc imperfecte descriptas complectitur, utri sunt. *Fucus*, *Hippocratea*, *Hymenæa*, *Matthiola*, *Rumpbia*.

## T A B U L A I.

- Fig. 1 Radix tuberosa, aut grumosa, multis crassis corporibus; in fibras desinentibus, composita.
- 2 Radix fibrosa, aut ramosa.
- a Radicula, sive ramulorum radicis extremitas.
- 3 Radix tuberosa simplex, quæ constat corpore solido, uniformis substantiæ.
- 4 Eadem radix horizontaliter dissecta.
- 5 Radix bulbosa, sive bulbus, vel hybernaculum tunicatum.
- 6 Eiusdem hybernaculi pars interior, tunicis composita.
- 7 Radix squamosa, vel hybernaculum squamosum.
- a Squamæ quibus componitur radix.
- 8 Radix granulosa.
- 9 Caulis repens in terræ superficie.
- a a a Radices repentes, quæ semper e nodis caulium prodeunt.
- 10 Umbella universalis, quæ multis efformatur partialibus umbellulis.
- 11 Corymbus florum, in quo peduncularum dispositio sphærica est.
- 12 Panicula plantarum cerealium.
- a a Valvulæ, quæ conficiunt calycem glumosum.
- b b Aristaæ seminum, aut corollæ.
- 13 Spica florum, quæ plerumque est conica.
- 14 Folium ovato-lanceolatum, integerrimum.
- 15 Folium simplex subrotundum.
- 16 Folium compositum pinnatum in quo plura foliola uti,
- a, communi petiolo adhærent.
- b Foliolum impar.
- 17 a Glandulæ concavæ foliorum.
- b Stipulæ.
- c Cirrhus, sive fulcrum spirale.
- 18 Spinæ simplices.
- 19 a Aculeus, triplex nempe furca.
- b Aculei simplices.

D

TA.

# T A B U L A II.

Fig. 1 Flos polypetalus.

a Calyx pentaphyllum, foliolis quinque lanceolatis compositus.

b Petalum ejusdem floris.

2 Specimen plantæ muscosæ.

a Calyx muscorum cucullatus, calyptera dictus, antheram rotundam tegens.

3 Amentum, sive Julius.

4 Flos monopetalus simplex.

5 Flos monopetalus campaniformis.

6 Flos infundibuliformis,

a Tubus floris.

b Limbus.

7 Flos monopetalus rotatus, limbo quinquepartito.

8 Flos monopetalus labiatus.

a Labium superius concavum.

b Labium inferius.

9 Calyx, sive Perianthium monophyllum quinquepartitum, hirsutum.

10 Flos monopetalus anomalus, vel personatus.

a Nectarium corniculatum, posticæ floris parti affixum.

11 Flos Polypetalus cruciformis; Corolla componitur petalis semper quatuor.

12 Flos polypetalus Papilionaceus, sive Leguminosus.

a Petalum superius, sive vexillum.

b Unum ex petalîs lateralibus, nempe alis.

c Petalum inferius carina dictum.

13 Flos Polypetalus rosaceus.

14 Calyx apertus cum pistillo, ut innotescat communis pistilli forma.

15 Flos aggregatus, compositus, proprio flosculosus *Tournef.* vel tubulosus *Linn.*

16 Flos compositus radiatus.

a Corona, vel radius, qui componitur flosculis ligulatis, scilicet semiflosculis.

b Discus, qui componitur flosculis tubulosis.

c Flosculus disci.

d Semiflosculus radii.

e Ca-

XXVII.

- Fig. • Calyx communis.  
 f Squamæ, quæ in receptaculo compositorum florarum reperiuntur; hæc semina a se invicem distinguunt, & Paleæ nuncupantur.
- 17 Flocculus, sive flos tubulosus quinquepartitus, Corollæ compositæ.
- 18 Idem apertus, ut ejus interna structura observetur.  
 a Filamenta quinque staminum, quorum antheræ in unicum cylindrum conjunguntur.  
 b Pistilli stylus, quo antherarum corpus perforatur.
- 19 Flos compositus ligulatus, vel semi-flocculosus Tournef.  
 a Flocculus ligulatus apertus.  
 b Germen ejusdem flocculi.  
 c Stylus.  
 d Stigmata duo revoluta.  
 e Flocculus integer.  
 f Receptaculum cum calyce communi ejusdem floris.
- 20 Semen Papposum simplex.  
 a Stipes, sive Pappi pediculus.  
 b Pappus.
- 21 Bractea, sive membrana propria, vel folium Florale.  
 a Flores Tiliæ, bractæ affixi.
- 22 Stamina, & Pistillum floris cujuscumque hermaphroditi.  
 a Stigma.  
 b Stylus.  
 c Germen pistilli.  
 d Staminum antheræ.  
 e Filamenta staminum.
- 23 Pollinis, sive farinæ fecundantis granulum Microscopio visum, ex Malyæ antheris.
- 24 Ejusdem Pollinis granulum apertum.  
 a Materia tenuissima fecundans, sive halitus elasticus, in granulis farinæ, tanquam in capsula inclusus.
- 25 Classis prima Monandria. Stamen unicum cum pistillo.
- 26 Diandria.
- 27 Triandria.
- 28 Tetrandria.
- 29 Pentandria.
- 30 Hexandria.
- 31 Heptandria.
- 32 Octandria.
- 33 Enneandria.
- 34 Decandria.

35 Do-

**XXVIII**

- Fig. 35 Dodecandra.  
36 Icosandra.  
37 Polyandria.  
38 Didynamia.  
39 *a* Stamina duo longiora.  
39 Tetrodynamia.  
*a* Stamina quatuor longiora.  
40 Monadelphia.  
*a* Staminum antheræ.  
41 Diadelphia.  
42 Polyadelphia.  
43 Syngenesia,  
*a* Staminum filamenta.  
*b* Cylindrus antherarum.  
44 Gynandria.  
*a* Stamina pistillo affixa.  
45 Monocotia.  
*a* Partes floris masculinæ.  
*b* Partes floris femininæ.  
46 Dicecia.  
*a* Floris partes masculinæ.  
*b* Partes femininæ in distincta planta, ideo in distincta linea  
reperiuntur.  
47 Polygamia.  
*a* Flos hermaphroditus.  
*b* Flos masculus.  
*c* Flos femineus in eadem planta.  
48 Cryptogamia.  
*a* Fructificationes supra folium inveniuntur.  
49 Pericarpium, Siliqua proprie dictum.  
50 Pericarpium Legumen.  
51 Leguminis pars interna.  
*a* Semina futura affixa.  
52 Pericarpium cuius nomen Bacca.  
53 Bacca aperta.  
*a* *a* Semina ejus reniformia.

Tab. J.

Fig. J.







b.

8.



13.







